DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

(21

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON


AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


GUALTERUS MANNERS,
Anglus,
A. M. COL. REG. OXON.



Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

PROŒMIUM.

VENTER non solum "Magister Artis ingenîque largitor," uti PERSIUS cecinit; sed et princeps viscerum sedes, centrum nutritionis corporis est. Ventriculus quidem vix ulli corporis organo cedit, sive gravia ejus munera, sive consensus cum aliis partibus ejus complures spectemus. In ventre superiore situs, contactu suo, caetera ibi circumjacentia viscera et multum afficit, et multum ab iis

afficitur vicissim. Cum corde quoque, ipsoque cerebro et genere nervoso, perpetuo consentit. Nec minor ei morborum quam affectuum munerumque sanorum varietas est; quam vero turbam, utcunque multiplicem, unus, Dyspepsia, quasi semper comitatur, ipsa omnium summi momenti saepissime contingens. Licet enim sæpius fauste desinat, vitae tamen commodis convictus gaudiis fere interdicit. Multis quoque lentos tandemque lethales morbos superinducit; nec desunt exempla quibus propter diagnosios obscuritatem, idonea curatio quam inde deduci necesse est, fere impossibilis fit. Dignissimum igitur praebet argumentum ad dissertationem medicam, nec facile intra limites ejusmodi cohibendum.

DEFINITIO.——NOMEN.

Dyspepsia, vocabulum antiquissimum adhibetur a prisco Catone (in capite cxxvii. de Re Rustica) eum morbum significare, quo cibus non concoquitur. *Dys* enim difficilis est, *pepsia* concoctio. Saepe apud antiquos *cruditas* audit; nec bene quidem sub nomine Dyspepsiae, apud scriptores

recentiores descripta fuit ante Culleni aetatem, qui pauculis verbis, signa pene omnia hujus mali olim sub titulis *diversissimis* indictaa, in unum condensavit. Haec ejus verba sunt :

" Dyspepsia.—Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia ; pauciora saltem vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium, morbo."

Eundem morbum J. M. Good, in speciem *generis* quod Limosis ei est, diminuit. His verbis definit :

" *Dyspepsia, Indigestion.*—The appetite fastidious ; the food digested with difficulty ; habitual costiveness."

Dyspepsia, pro causis suis, dividi in species solet, apud vulgus medicorum ; sed Nosologi recentiores omnes divisiones negligunt. Ut plerique alii, morbi, in *idiopathicam* et *symptomaticam* diduci debet : nam saepenumero errant medici, qui talem distinctionem minus curant. *Idiopathica* lenta est, nec subito in malum pestiferum

desinere solet; dum *Symptomatica* saepissime e causis gravissimis, citoque lethalibus, nascitur. Alia divisio secundum causas notior est. Itaque *Cardialgia, Gastrodynia, Inflatio* et caetera signa in CULLENI definitione notata, multos apud medicos, ut species morbi *diversae* habitae sunt, vel etiam ut genera distincta.

DE DYSPEPSIAE HISTORIA.

INFLATIO, vel eructatio levis, minime injucunda, primum Dyspepsiae signum est; et adeo frequens apud optima fruentes valetudine existit, ut sine aliis malis comitantibus nullam cruditatis suspicionem movere solet. Sed aëris in ventriculo paulo amplior collectio, qualis *brevi* insequitur, ingrata, dolorifica est; atque tam distentione illius cum manet, tam motibus crebris molestis quibus ructu expellatur, aegrum haud mediocriter torquere consuevit. Pejus vero est, si intestina simul eodem aëre morboso tensa sint, scilicet, septo transverso difficillime descendente, et inspiratione, quae inde pendet, vix, sine conamine quodam, absolvenda. Sed huic, utcunque molesto signo,

cito accedit *Cardialgia.* Dolor est, anxietas, ponderis sensus, ardor quasi circa cardiam urens, saepe cum nausea et desiderio hujus materiae ejiciendae. Ejecta saporem acidum in ore relinquit, et dentes, qualiter acidis fieri consuevit, sensu illo dirissimo, dolente vibrante, claudere prohibente, afficit. Saepe quoque faucium membranam rodit, inflammat: atque in solutionem brassicae excepta eam statim rubefacit. Omnia haec post cibum exasperantur; magis vero aliis quam aliis cibis. Quando adsunt, Dyspepsiam, uti supra diximus, constituunt; et multi mortales longam vitam cruditatis et hypochondriasis transigunt, nec alio aut graviore dyspepsiae indicio occupati.

Plerumque tamen caetera, et graviora superveniunt. *Fastidium* cibi maximum fit, quo augente, et *cupiditas* ejusdem pene aboletur, ut etiam vacuo ventriculo: *nausea* et *vomitus*, fortasse biliosus vel mucosus, urgere perstant. Dolor, modo, urens, modo spasmodicus, totam regionem ventriculi obtinet, et pauculis deorsum ad intestina devolvi percipiuntur. Alvus torpet, vel cum diarrhoea quadam abnormi adstrictio ejus alternat. Torpor tamen frequentior est; atque quantus medicamentis fugari nesciat, post singulas purgationes arte factas,

redire solitus. Eadem de causa haemorrhoides circa rectum, aliquando et vermes ascarides dicti se ibidem ostendunt: quin venter tumidulus, tormina sine flatu vel diarrhoea finita, narium et ani pruritus, vermium lumbricorum et taeniarum in intestinis superioribus suspicionem præbent.

Sub iisdem vero indiciis valetudo generalis satis firma esse potest, et vita, utcunque his malis vexata, per intervalla fermentationis gastricae, *sedentium* ac *absorbentium* ope, satis jucunde transigitur. Sed cum vomitus et nausea, prolesque eorundem anorexia, vehementes sunt, corpus non amplius alitur; aëres foetidos eructat, cibum parum mutatum perinferiorespartes dejicit. Membra omnia corporis languescere incipiunt; sed ea maxime ad motum voluntarium pertinentia, ante omnia, musculi qui quidem non tantum languescunt, hebescunt: sed volumine ac soliditate imminutis, mollescunt, collabuntur.

Genus nervosum itidem afficitur; mobilior, minus tamen efficax, minus animi imperio obsequens; aut si obsequens, incertum, vacillans. Animus ipse debilior, iracundus, morosus, meticulosus pravae suspicionis plenus, omniaque dira sibi ominans. De valetudine, de morbo quodam horri-

do, interno, ipsis medicisque multis suis ineffabili, incognito, inexpugnabile, dyspeptici graviores perpetuo delirant. Raro tamen timores istos infaustos rei eventu confirmatos vident; sed utcunque firmus sagaxque fuerit animus, quantumcunque de morborum corporis ortu et progressu eruditus, reducibus signis, timores mortis morbive interni pariter redire, vanaque formidine ipsum territare solent. Nec tamen semper mala haec indicia fallunt. Sæpe ex tanta macie atque debilitate, in *hydropem* fractus et jam semimortuus aeger decidit; saepe ex acrium in ventriculo ita debilitato copia acerbitate, commoratione supra modum, ille aut ulcere vetusto occupatur, aut scirrho cardiae pylorive in carcinoma facile abeunte.

Nec defuit *Gallis* Broussaeus suus, qui omnem Dyspepsiam nil nisi Gastritidem longam esse perhibeat. Certe multae Dyspepsiae causae, inflammationem ventriculi gignunt, atque omni tempore gignere *tendunt.*

Quinetiam alia organa, ex solo partium consensu, in affectus gravissimos conjicit. Per longum morbi tempus caput plurimis vehementer dolet. Tormina, Obstipationem, Colicam, Diarrhoeam, in intestinis plerumque excitari, jampridem dixi-

mus; et quam perpetuo hepar in Dyspepsia laborat, medicus nemo est qui non cognoverit. Mirum enim ob consensum inter ventriculum, et hoc viscus; alterum vix affici potest quin alterum una laedatur, tantum iis fere in omnibus consortium est. Languente ergo ventriculo, sanguis ejus venosus lente venae portarum hepatique redditur; lente chymus imperfectus quem duodeno transmittit, ductus biliferos in transitu stimulat; unde fit tam sanguinis quam bilis in canalibus hepatis restagnatio. Hinc intestina, stimulo suo, bile fraudata, uti decet, non se contrahunt, et stercus ad rectum aegre et vix nisi coacta demittunt. Contra, si forte hae duae causae intenduntur, fluxus bilis redundat, diarrhoeam biliosam valde incommodam inducit; vel vomitum in ventriculum per pylorum refluens biliosum gignit. Denique, stagnando in viis, aut icterus, aut hepatitis *chronica* saepe gignitur.

Renes nonnullis vitia ventriculi ex cruditate participant, secretione sua vitiata. Hinc quibus inflationes sunt, sabulum in urina, dolores per vias ejus admodum familiares.

Pulmones affectu quodam, a phthisi vix aut ne vix quidem dignoscendo, cum tussi purulenta, hec-

tica, pectoris dolore, corporis macie, haud raro apud dyspepticos correpti. Wilsonus Phillip de eo, sub nomine Dyspepsiae phthisicae, praeclare egit; et is morbus utique cum vera et desperanda phthisi nonnullis confunditur. Quin et tussis antiqua sicca est, plurimis diu Dyspepsia vexatis. *Cor* autem, prae omnibus aliis musculis, cum ventriculo in Dyspepsia consentit. Equidem Syncope in hac adeo frequens est, ut iis exemplis ubi gravior extaret, veteres nomen specificum *Cardiacon* tribuerunt. Quin haud levis suspicio est, anginam pectoris et alia quaedam cordis mala organica, a Dyspepsiae saepe pertinace originem suam deduxisse. Illa utique raro non cum ea copulantur.

Palpitatio cordis alia ejus affectio est, ad Dyspepsiam fere pertinens. Sclicet genere nervoso ac musculoso debilitato mobilioreque facto, causae quaevis leviculæ vehementes ejus contractiones ciere, valent: maxime cum eadem debilitas sanguinis propulsioni, per vasa obstet, ideoque eum conatum ad *rectificationem* aortae apud arcum suum, quae causa est praecipua pulsationis cordis in costas, omnis seu sani, seu morbose validi, augeat.

Postremo, Dyspepsia mala ejus saepissime ad cutem extendit. Herpetes ac impetigines, forsan et ipsam Scabiem, huic origini omnes attribuunt; nec praeter contagiosas eruptiones, ulla detur cutis defaedatio quae non ad pravam ventriculi alvique conditionem referri posset. Nuces, musculi, pisces, ova, et similia, eruptiones istiusmodi multis unam intra horellam genuerint; et pauci mortalium, usum eorundem alimentorum diuturnum impune ferre possunt.

Masculos prae foeminis, juvenes prae infantulis, pueris, senibusve, afficere solet, etiamsi nulla prorsus immunis sit aetas. Ne vitae quidem victusve genus ullum prorsus immune reperias. Denique, nulli genti, nulli orbis terrarum plagae, parcit. Sed boni extant auctores, Anglo-americanos prae aliis cultis nationibus, valde obnoxios esse: dum medicis quasi religio est, eam formam quam *Pyrosin* vocant, *Scotis*, *Helvetiis*, aliisque monticolis, ut vitium gentilitum referre.

Pauperes quoque, quos vitae conditio frugibus solis se alere cogit, in Dyspepsiam valde proclives existunt. Artifices demum plurimi, scribae intra domum totum diem consumentes, nec aëris recentis stimulo utentes, huic malo haud mediocriter

obnoxii. Nec silentio praetereundi sunt ii qui Dyspepsia sympathica laborant. Imprimis, matronae utero dum gerunt Dyspepsia miserrime affligi solent; et virgines, quibus menstrua haud rite fluunt, eodem morbo supra modum vexantur. Utraeque siquando leucorrhea occupeverit, per eam ventriculo haud leviter laborant. Hepatici, demum, hystericae, alvo adstricta detenti, Dyspepsiae admodum obnoxii, raro quidem liberi, videntur.

DE CAUSIS.

Morborum, sicuti aliorum casuum, raro simplex causa est; nimirum diversae admodum res ad eundem effectum praestandum conferre videntur. Harum quoque aliae hominem tantum ad morbum proclivem reddunt, sed ita, ut sine his morbus non fieret: aliae eum excitant in homine proclivi facto: nec paucae ex iis, modo proclivitatem, modo ipsum malum super inducunt: praesertim in nostro morbo, Dyspepsia.

Tertia vero eventuum series est, inter causam excitantem admotam, et signa morbi manifesta in-

tercedentium; et haec a nonnullis *morbi ratio*, *morbi theoria*, vel *causa* ejus *promixa* dicitur; etiamsi sermo accuratior esset si *effectus proximus* seu *ultimus* denominaretur. Causa igitur sub tribus his generibus considerare oportebit.

1. *De Causis Praedisponentibus.*—Tantus inter principes corporis partes atque ventriculum subsistit consensus, ut fere omnia quae aliquam ex illis multum debilitant, vel diu irritant, hunc ad dyspepsiam proclivem reddunt. Sic infinitae affectiones cutis, uteri, hepatis, ad eamdem disponunt; nec minus varia mala generis nervosi. Quaecunque autem ipsi ventriculo nocent, eodem vehementius ad huc tendunt. Sic stimulantia et narcotica omnia, amara, antispamodica, diu adhibita, vim fibrae muculosae, fortasse et nervosae quoque exhauriunt, frangunt, ad dyspepsiam levi de causa facile suscipiendam ventriculum proclivem reddunt. Porro, aetas juvenilis, temperamentum sanguineum, fabrica quaedam haereditaria, a parentibus derivata, vita sedentaria, animi effectus vehementiores, obstipatio alvi, diarrhoea, vel quaevis insolita ejusdem affectio diuturna, ad pravam concoctionem seu dyspepsiam, mire dis-

ponunt. Insolita quoque ventriculi distentio, victus herbaceus, vel ex frugibus solis, aut rebus demum aegre concoquendis, confectus, causa praedisponens tandem evadit.

2. *Causae Excitantes.*—Multi perdocti medici unicam esse causam Dyspepsiae *excitantem* contendunt; nimirum, *victum concoctu difficilem*, et *fermentationem* in *ventriculo statim subeuntem*. Sed hoc falsum est.

Quamvis enim saepenumero a rebus ejusmodi fermentescentibus originem ducere, nunquam non foveri, morbus videatur; infinita pene exempla occurunt, ubi is excitatus est causis a vitio cibi quocunque alienissimis. Affectus animi vehemens et subitus, inopinatus; vehemens quoque et subito post plenum cibum exercitatio; quin flexio corporis eodem tempore nimis frequens vel diuturna; ictus demum epigastrio tunc violenter impactus, Dyspepsiam plus minus longam vel sanissimo superinducet.

Sic ubi nihil fere in victus genere medicus criminari potest; vita sedentaria, studium intensum; venus nimia; abnormis frigus, vel calor nimius, corpori admotus; vestes, praesertim caligae calceique,

madidi, usus caffaeae, theae, tabaci, spirituum ardentium, opii, irritatio vel morbosa quaevis conditio plurimum illarum partium quae cum ventriculo consentiunt ; denique aqua calida, vel etiam frigida, vel res quaedam natura non ibi mutandae, in ventriculum conjectæ ; Dyspepsiam gravissimam vix curandam gignunt.

Origo longe frequentissima in cibo est ; qui nullo discrimine, in ventriculo prius debilitato, quasi congestus renovatusque ante quam ad coctionem tempus datum fuerit, ibique cum liquoribus fermentantibus, fermentatis *vegetabilibusque,* ad hanc conditionem aptissimis commixtus ; citissime in *gasia* et acetum ruit ; chymo parco, nec ad alendum salubri, in duodenum descendente. Hinc perpetua fere cardialgia urgetur miser.

3. *De Morbi Ratione seu Causa Proxima.*—Hanc CULLENUS in majore fibrarum musculosarum debilitate posuit ; ut Succus Gastricus, ad cibum solvendum natus, aut parce, aut morbide et maligne secerneretur : quo facto, cibus in *chymum,* ut decet, non mutatur. Alii putant, crustam mucosam in ventriculo haerere ; alii acidum quod omnia ingesta fermentescere cogat ; alii bi-

lis refluxum; sed hae omnes praeter primum rationes signa dyspepsiam cuncta explicare nequeunt.

DE PROGNOSI.

Prognosis in hoc morbo quod ad vitam spectat nunquam fere mala est: si enim juvenem occupaverit, plerumque praegressu aetatis recedere videtur: atque si aeger jam annis provectus sit, morbus adhuc brevior esse consuevit; in neutro lethalis evadit, nisi pertinacibus illis exemplis omni medicinae resistentibus. Si quando vero Scirrhum cardiae vel Pylori vel Hydropem genuerit, prognosis admodum infausta evadit. Auctor tamen est Cl. Doctor W. Phillip, terminationem ejus in speciem Phthiseos quandam, plerumque ad sanitatem perduci: sed cum distinctio inter Phthisin Tuberculosam, et Phthisin Dyspepticam perquam difficilis sit, medicum cautissime hic praesagire decet.

DE DIAGNOSI.

Dyspepsia *idiopathica*, a *symptomatica*, per

signa morborum comitantium propria, distinguitur: atque prout haec plus minusve manifesta sint, erit discriminatio magis minusve facilis. Hepatitis chronica, omnium frequentissimus comes est, aegerrimeque dignoscitur. Plerumque tamen dolor quidam in summo humero, vel ad scapulos, percipitur. Hypochondrium affectum nonnihil tumet; bilis aut non fluit, aut per intestina exundat; oculi quod album esse debet, flavescit; universa cutis plumbeo colore tingitur; homo in latus sinistrum haud sine difficultate quadam discumbit, saltem non diu super eodem jacere potest. Longe plurimis quidem Hepaticis, pressus digitorum sub costarum dextrae partis infimarum margine, dolorem satis manifestum gignit; quo indicio praesente, caeteris fere diagnosticis supersedere licibet; quamvis tum etiam similis pressus sub margines costarum sinistri lateris, ne imaginatio pro sensu aegro imponat, adhibere debet. Saepius vero fallit *splenitis,* utpote qui ipse rarus morbus, nullam sui suspicionem diu movet; sed ab initio dyspepsiam comitem habere consuevit. Nisi tamen tumor extrinsecus se prodat, vel dolor inter cibum ingerendum augescat, nullam certam distinguendi rationem cognovi.

Scirrhi quoque *Cardiae,* vel *Pylori* ventriculi, haud ita raro Dyspepsiam simulant.

Scirrhus cardiae indicatur difficili cibi solidi imprimis devoratione, deinde, progrediente morbo, potionis in ventriculum descensu ; saepe cum spasmis et suffocationis sensu, rejectione ingestorum per os finitis. Nonnullis ejusmodi, inter devorandum totum corpus in convulsiones conjicitur, ut auctor est MONRO Tertius, "Morbid Anat.," p. 328.

Scirrhus pylori his signis cognoscitur. Cibus secunda vel tertia post cibum hora rejicitur, saepe cum liquore nigro fœtido aut sanguine ipso. Nonnunquam tumor *Pylori* in *Epigastrio,* vel regione etiam umbilicali, manu tangendus est. Pulsus 90. vel 110. numeratur, tandem cum febre hectica ; vomitus cum ventriculi dolore est : saepeque sub morbi initio humorem acidum copiosum rejiciens. Quod ad phthisin attinet, non multum fide dignum reperimus. Procul dubio Dyspepsia haud ita raro phthisin aemulatur, id quod scriptis suis docuit C. WILSONUS PHILIP. Necne vero ulla dentur certa signa, veram a simulata discernentia, haud facile dictu est.

Sanatur fortasse Phthisis Dyspepsiæ equitando,

peregrinando, exercitando: at quis tuberculosam formam hoc modo aliquando curatam fuisse, contra tot tantaque testimonia negare auderet? Adsunt pectoris dolor, tussis purulenta, febris hectica, utrisque: atque sola via ad diagnosin, e morbi historia petenda esse videtur. Nimirum, si signa dyspeptica diu vexaverint, atque indies pejora evaserint, hisque mala phthisica paulatim accesserint; nec alia eorum causa tum patente, veri haud absimile erit, Dyspepsiam iisdem originem praebuisse.

DE CURATIONE.

Quanquam haec affectio medicorum ingenia per tot saeculorum exercuerit, nemo adhuc certum remedium invenit. Duo consilia medendi se offerunt. *Primum*, ut vis ventriculi, ideoque secretio naturalis redintegretur; *secundum*, ut victu alioque regimine corporis, ne ulla interea causa excitans nova accedat, caveatur. Ad primum consilium nulla vel saltem mediocris, irritatio, vel sedatio; minor ventriculi distentio, roborantia varia, sive interna sive externa, praecipue conferent: et summopere vitandae erunt omnes morbi causae excitantes.

Distentio praecipue oritur a nimia cibi ingesti copia; a nimia ejusdem fermentatione, aërisque evolutione; qualem acidum in ventriculo retentum, natura ipsius cibi ad eandem prona, vel res jam fermentescentes huic adjectae, excitare consuerunt. Porro effectus pene distentione similis nascitur a ventriculi compressione; sive a ligaturis circa corpus, sive ab eodem nimis diu aut vehementer antrorsum flexo; sive ab aucta mole organorum circumtangentium; qui ideo vitandus erit, haud minus quam antecedentia. Si *acidum* adsit ventriculo, magnesia usta vel calce, pro alvi conditione jam optanda, saturetur.

Si cibus nimis facile *effervescat*, vel per se vel per fermentanta, ut vinum, cerevisiam ei admixta, mutetur in carneum, cum potu aquoso aut alcoholico, quia nunquam in aëres resolvi solent. Hoc modo quoque injuriam ex ampliore cibi volumine effugiat aeger: quod si minus, tum per intervalla breviora cibus assumptus, cupiditatem acriorem, ventriculo valde noxiam, facile levabit.

Irritationem pene eodem modo mitigare potest aeger; sed si *saburra*, vel res diu non concoctae in ventriculoque computrescentes, nauseam, vomitum, vel universam anxietatem suscitare videan-

tur, tum vomitorio et opiatis quieti aptior conditio quaerenda erit. Nec male pejora mali exempla hoc ritu incipiant medici curare.

Sedantia omnia quae nocere videntur, tabacum, vinum, vinosa alcoholica, opium, thea, caffaea, diligenter evitanda sunt; quin si effectus eorum diu restent, etiam stimulantibus opus erit, ut ventriculus sensum sibi naturalem recipiat. Roborantia vero aut in ventriculo, aut universo corpore, vim suam manifestant. Primi generis sunt stimulantia *varia metallica ;* Tinctura Muriatis ferri, Carbonas Ferri praecipitatus, Pilulae Sulphatis ferri compositae: Oxydum Zinci, Oxydum Bismuthi; Sulphas cupri, ammoniaretum cupri: Pilulae Hydrargyri; Nitras Argenti. Proxima his veniunt acida fossila, Sulphuricum, Muriaticum, Nitricum, et hoc ultimum sub forma balnei, quoque prodest. Omnibus tamen fossilibus crimini datur, quoddiu adhibita ventriculum debilitent; et laudatissima acidi sulphurici forma, acidum sulphuricum aromaticum, hoc vitio non omnino caret. *Astringentia vegetabilia*, minus hac quidem causa, culpantur; sed alvum torpidam reddunt; et copiosius sumpta, Dyspepsiam augent. Hujusmodi sunt Kino, Catechu, Decoctum Quer-

cus Roboris, Haematoxylon Campechianum, Cortex Salicis fragilis, Tinctura Gallarum, Rheum palmatum, Vina rubra, cerevisiae multae, Alcohol, Aether, acida vegetabilia, quae omnia suis auctoribus placuerunt. Postremo, *amara multa* ventriculo robur conciliant; sed ratione prorsus incognita. Tritum est, cibi cupiditatem augere, ideoque plus alimenti ut ingeratur, efficere. Sed quid efficit ut hoc novum alimentum rite *concoquatur?* Sine enim concoctione, pro rata parte laedet cibus superfluus; ut Dyspepticis fit, qui nimiam hujus copiam plerumque ingurgitant.

Quin et amara tandem inertia evadunt, vel etiam noxia; quod simplici stimulanti ingesto vix contingit. Amara optima sunt Tinctura Quassiae, Cinchona, Tinctura Cinchonae composita, Sulphas Quiniae, Gentianae extractum, vel Tinctura; Tinctura Alöes et Myrrhae, Strychnus nux Vomica in pulvere, sulphas Strychniae; extractum et infusum Anthemidis nobilis, Centaurii minoris, et mille alia hujusmodi. De quibus omnibus roborantibus internis illud notandum est, singula fere singulis convenire; nec temere mutanda esse, nisi obesse plane visa sint. *Roborantia Externa* sunt corporis exercitatio, gestatio, frictio, lavatio.

Exercitatio citra fatigationem esse debet, plerumque citra sudorem; nec nisi intervallo bihorii post cibum sumptum; neque ejus demum generis quae ullo modo ventriculum premat. *Gestatio* in equo optima est, atque saepe sine alio quovis auxilio Dyspepsiam fugat. Sed in curru vel lectica vectura summo sæpe auxilio est; praesertim debilioribus timidisque. *Frictio* plerumque cum Balneo tepido conjungi debet, utpote cui calor quidam motusque vasorum cutis multum opitulentur. Nihil certe conditionem membranae mucosac ventriculi magis corrigere tendit, quam libera cutis actio, sive haec ad exhalationem sive ad circulationem ejus sanguinis, spectet. Frictione qui rite utuntur, cum balneo, vix ventriculo laborant, nisi hoc pessime per cibum potumque abutuntur. Aliud et optimum Dyspepticis remedium praestat balneum frigidum, vel quod *pluviale* dicitur.

Spongia quoque ex frigida corpus quotidie madefacere nihil nocet. Sed præcipuum remedium ex secundo consilio proposito, ducendum est. Victus enim ex iis rebus quae non effervescunt, potusque; exercitatio liberalis quotidiana, animi hilaritas; longe plurima hujus exemplar in sanita-

tem perducere valebunt. Hoc modo enim cavetur nimia ventriculi distentio; cavetur saburra, nimiaque illius receptaculi solicitatio, quae fere mali origo est: alitur demum corpus probe, et quod deponendum est aequaliter et copiose per omnes ejus partes distribuitur, exercitatione motum cordis intestinorum diversorumque excretionum receptaculorum accelerante.

Quin si alvus sub victu carneo nonnihil torpescat, acceleretur ipsa quoque purgantibus calidis roborantibus, Pilulis Alöes, Colocynthidis, Pilulis Rhei compositis; Sub-muriatis Hydrargyri, vel ipsius Hydrargyri. Quod si parvum aegro commodum sit balneo frictioneque uti, *Diaphoretica*, ex quibus sarsaparilla, antimonium, his substitui possunt, et curationem optime promovebunt. Lenia quoque stimulantia, ut alcohol dilutum, thea vel caffaea sine saccharo et lacte, cibum ventriculo conciliant, et pro stimulo rerum nocentium quae fermentescunt, solatium praebent, ni copia superet. Caro quae plus alat, quaeve homini laboranti forte gratior sit, seligenda est. Nec ullo modo melius haec coquitur, quam super prunas ossando.

Ne fastidium hujus unici et perpetui cibi nimis

subito occupet, tempora cibandi differri debent, quo acrior cibi cupiditas redeat. Si diutius ferre hanc carnem omni vegetabili viduam se posse aeger neget, tum panis bis coctus, qualis nautis datur, aqua fortasse mollefactus, sed parcissimus, ut adjiciatur licebit. Sed omnia, sive carnes sive panificia sint, igne nimis indurata sive adusta vitari debent: et nunquam alvi conditio negligenda est; medico tam fluxum tam adstrictionem ejus minimam assidue corrigente. Tali victui, tali exercitationis regiminisque curriculo, pleraque recentiora dyspepsiae exempla cedent; et vetustiora, jamque nullo, uti videtur, remedio sananda, levamentum insigne, pretioque laboris dignum, inde percipient.

FINIS.